

ergo est quasi Deipara, præsepe altare, parvulus Emmanuel, quem quodammodo gignit sacerdos, est Christus sub parva hostia productus per virtutem Altissimi. Unde bene dixit Thomas de Kempis, lib. IV. de imit. c. II. *Ita magnum, novum et jucundum tibi videri debet, cum celebras aut missam audis, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens, homo factus esset, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur, et moreretur.* Quando ergo nobiscum habemus Deum, summum bonum summe nobis communicatum, quid amplius concupiscimus et præter ipsum quærimus? Si enim extra ipsum, honores, opes, voluptates quærimus et amamus; nonne hoc ipso negamus, eum esse Deum et summum bonum nostrum? Nonne hoc ipso recedimus ab eo, qui nobiscum esse voluit?

Secundo, per gratiam, illuminationem, consolationem et corroboracionem. Hanc enim gratiam et benevolentiam suam vel reipsa nobis confert, cum extra statum peccati sumus: vel assiduo nobis offert, cum in statu peccati sumus; siquidem variis modis quærit, vocat, urget, excitat peccatores, ut resipiscant. Idcirco noluit vocari: Nos cum Deo, sed Deus nobiscum. Ut enim non nos Deum, sed Deus nos quæsit: ita etiam hodie quærit sæpe nos, cum ab eo fugimus et in perniciem nostram ruimus.

Tertio, per singularem protectionem et custodiam, qua tuetur Ecclesiam suam et membra ejus. Expertus id est S. Stephanus, cui pugnanti adstitit, manum et palmam porrexit: expertus S. Petrus, cui de carcere fugienti obviavit extra Romam, et martyrium insinuavit, inferens ei mentem, vires et robur ad redeundum et martyrium excipiendum: expertus in naufragio et alias sæpe Paulus: expertus S. Antonius in lucta cum dæmonibus. S. Ignatius Romam pergens, eum sibi dicentem vidit et audivit: *Ego vobis propitius ero.* Sanctus Xaverius, qui in Indiam profecturus, objectis sibi per somnium ærumnis Indicæ peregrinationis, tantum earum horrido licet aspectu roboratus et animatus fuit, ut exclamaret: *Amplius, amplius,* ut in hist. soc. tom. I. lib. III. Taceo ss. martyres aliosque innumeros, quibus luculenter adfuit Christus in afflictionibus. Quod si igitur Josue et Caleb Hebræos trepidantes ascendere ad terram promissionis et pugnare cum hostibus, hac voce animarunt: *Dominus nobiscum est, nolite metuere.* Num. XIV. multo magis nos, qui revera Emmanuelem habemus, animosi esse debemus ad quævis aspera aggredienda et subeunda. Si ergo acris insurgat tentatio, si dæmon, si melancholia, si ira, si cupiditas,

si amici, si inimici ingruant, Emmanuelem cogita, Emmanuelem invoca.

IV. Fortis, Hebr. potens, vel ut Vatablus vertit, hæres fortis, hujus ortum aununtiavit Gabriel; quod nomen sonat, Fortitudo Dei. De eodem dixit Baptista: *Veniet fortior me post me,* Marc. I. Fortis autem primo est, quia fortem illum armatum, dæmonem vicit, spoliavit et ligavit, longe illo fortior, uti parabolice insinuavit Dominus, Luc. XI. cum ait: *Si fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, etc.* Evertit ergo hic David totum Goliathi illius regnum, mundum, peccatum, mortem, infernum. Hunc nobis adjungamus, quando nobis colluctatio est sive adversus carnem et sanguinem hostesque nostros visibiles, sive adversus spiritualia nequitie et principes tenebrarum harum. Potens enim est protegere nos in omni tribulatione et arcere potestates aereas. Sine ejus auxilio vana est fortitudo nostra.

Secundo, quia acerbissima quæque fortissime et constantissime pro nobis passus est: labores scilicet innumeros, tormenta exquisitissima, mortem crudelissimam.

Tertio, quia aliquando servos suos fortiter defendet et potenter exaltabit; vicissim contra impios fortiter pugnabit gladio oris sui, in die scilicet judicii, cum judex vivorum et mortuorum reget eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringet. Hunc respexit Baptista, cum dixit Luc. III. *Veniet fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni: cujus ventilabrum in manu ejus (en judicii discussionem) et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

V. Pater futuri sæculi, primo, quia futurum sæculum novæ legis seu futuros Christianos veluti pater filius ad novam et evangelicam vitam adeoque ad sanctitatem futuri sæculi instituit. Velut enim alter Nœ demersis in ejus sanguine peccatis, in arca suæ Ecclesiæ salvavit Christianos, et ita novi sæculi auctor fuit et pater.

Secundo, quia post passionem resurgens, in cælum ascendens, ejus januam nobis aperuit, resurrectionem item et vitam alterius sæculi æternam promeruit.

Tertio, quia in futuro demum sæculo vere nos ter pater erit, cum nos filii in sinu ejus positi, jucundabimur. Quo fecit versio Vatabli, qui vertit: *Pater æternitatis,* hoc est, quod I. Joan. III. legimus: *Charissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem quo-*

niam cum apparuerit, similes ei erimus, q. d. sumus quidem hic filii Dei, sed pro talibus non agnoscimur, quia mundus non videt internum nostrum decorem, noscet autem in futuro demum sæculo, ubi non jam obscuri, viles, despecti, sed splendidi et beati erimus et apparebimus hæredes Dei et beatitudinis ejus.

VI. Princeps pacis! Est enim verus Rex pacificus, cujus typus tantum fuit Salomon; siquidem in mundum veniens, pacem per angelos annuntiavit, et e mundo recessurus, pacem nobis commendavit et reliquit, eamque triplicem. Primo, est inter nos et Deum; medium enim parietem, qui a Deo nos diviserat, dissipavit, dum per sanguinem suum nos Deo reconciliavit. Secundo, inter homines ipsos, dum omnes gentes, prius tam discrepantes, efferas, inter se diffidentes et dimicantes ad unam Ecclesiam congregavit, et in ea vinculo pacis et charitatis christianæ colligavit, sibi que mutuo devinxit. Quod indicare voluit, dum tempore pacifico, S. Leo papa, serm. VI. de nativitate ait: *Natalis Domini, natalis est pacis: ergo singuli fideles afferant Patri pacificorum concordiam filiorum.* Tertio, homines cum seipso, quæ est pax conscientie interna, quando videlicet cor nostrum non reprehendit nos. Hanc pacem cum in nobis experimur, principi pacis adscribamus; cum non experimur ab eodem repetamus, cum illo nos reconciliemus, et aderit princeps pacis serenaturus conscientias nostras.

Hi sunt tituli honorum, Salvatori nato debiti, quos breviter complens S. Bernard. serm. X. inter parvos, ait: *Admirabilis est in nativitate, consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in passione, pater futuri sæculi in resurrectione, princeps pacis in perpetua beatitudine.* Sunt vero hi tituli Messie, ut vidimus tam gloriosi, ut Septuaginta interpretes eorum majestate exterriti, non sint ausi eos transcribere in suam translationem, sed vice omnium posuerint, tantum unum, scilicet: Magni consilii angelus, ne videlicet gentilibus incredibiles viderentur, uti observat Hector Pintus, in Isai. c. IX.

### CONCIO III.

DE TRIPLICI NATIVITATE CHRISTI.

I. Æterna generatio. — II. Humana. — III. Spiritualis.

#### THEMA.

*Generationem ejus quis enarrabit? Is. LIII.*

Tres hodie diversas missas legit Ecclesia in honorem scilicet triplicis nativitatis Domini, uti

colligi potest ex singularum evangeliiis. Prima nativitatem ejus in carne significat, ut patet ex ejus evangelio: secunda nativitatem ejus in cordibus fidelium per gratiam, ubi in evangelio splendor divinæ gloriæ circumfulsit pastores; tertia nativitatem ejus æternam: *In principio erat Verbum, etc.* Prima est ex matre absque patre; tertia ex patre absque matre; secunda absque patre et matre, proprie loquendo: prima nativitate natus est semel; secunda nascitur sæpe; tertia nascitur semper: primo facta est in terris; secunda in mentibus hominum; tertia in cælo: in prima nascitur homo; in secunda homo Deus; in tertia Deus: prima est humana; secunda spiritualis; tertia divina. Omnes sunt admirabiles. Eas igitur non tam explicabimus, quam ostendemus non posse explicari. Explicari enim eas omnimodo non posse, patet ex Concilio Tolet. XI. c. I. Dionysio, II. div. nom. Unde Justinus, de confess. Trinit. *Non est, inquit, ut quisquam e me medium hujus unionis sciscitetur,* non pudebit enim fateri ignorantiam, imo gloriabor potius, quod credam arcana quibus initiatus sum, quæ nec ratio nec mens percipere valet.

I. Æterna Domini generatio annon admirabilis est. Gignitur e Patre Filius, qui tamen eo junior non est, sed coæternus. Accipit totam divinitatem a Patre, et tamen Pater eo minus non habet. Nascitur semper et æternum nascitur; unde Joannes dicit: *In principio erat Verbum,* et tamen semper est, fuit et erit perfectus. Nascitur absque matre per intellectum, imo per solum aspectum, quo se Pater ab æterno inspexit. Quod ut magis intelligatur, sciendum, hominem per intellectum producere verbum mentis, quod est idea rei cognitæ, eique per omnia simile; præterquam quod accidens est. Similiter ergo fit in Deo. Jam vero Deus quid aliud ab æterno intelligere et inspicere potuit, quam seipsum, cum præter ipsum et extra ipsum nihil esset? Inspiciendo ergo et suam totam divinitatem, et quicquid in ea latuit, id quod necessario facere debuit, necessaria etiam generatione producit in se Verbum, suique ideam; quæ quia accidens esse non potest (cum Deo nihil abesse, nec quicquam aliud in eo esse possit, quod non sit Deus) sequitur esse Deum quoque et producenti ex vi productionis, quæ est per ideam et in similitudine intelligentis, simile per omnia; excepto, quod terminus est productus, et consequenter persona diversa a producente. Exemplum in igne, qui producit primo circa se splendorem, ab hoc et igne simul juncto procedit lumen. Si ignis ab æterno fuisset, ab æterno splendisset, et per utrumque ab æterno lumen protulisset.



II. Est humana in carne, cujus hodierna est festivitas; et hanc quis enarrabit? Talis ea est, ut is, qui natus est, Deus et homo, una tamen sit persona non duæ. Finitus est infinitus, parvulus et immensus, temporaneus et æternus, creatus et increatus, passibilis et impassibilis, mortalis et immortalis. Quis audivit talia? Cæterum res ita gesta et in hac conjunctione, ut natura humana hypostasi sua destitueretur, et in personalitate divina subsisteret, quæ personalitatem humanam supplebat eminenti quadam virtute. Ad eam fere modum, quo unum candela-brum, cujus duplex ramus aureus et stanneus in eadem basi aurea tamen consisteret. Basis enim et subsistentia in Christo divina tantum est, naturæ vero duæ, aurea, id est, divina; stan-neæ id est, humana. Cæterum multa sunt in hac generatione difficilia intellectu. Primum, natura-rum diversarum assumptio, quæ sic aliquo modo declaratur a Durando, in III. d. 1. q. 1. D. Th. ead. d. q. 1. a 1. Est arbor, v. g. pyrus habens duos ramos, quorum uni inseritur surculus mali, et unus surculus sit pyri, alter mali: sic enim eadem arbor illa duplicem habet naturam et duplicem operationem, quia duplices parit fructus. Ita similiter in Christo duplices sunt operationes, secundum naturam humanam timet, plorat, patitur, moritur; secundum divinam vero minime.

Secundo, est earundem naturarum diversarum unio, quæ declaratur ab Athan. in symb. Cyrill. in ep. ad monachos, etc. per unionem animæ et corporis, quia sicut ex utroque unus constituitur homo ob vinculum unionis, ita ex divina huma-na natura una constituitur persona ob unitatem subsistentiæ, quæ divina et una est, et utramque naturam sustinet. Similiter in proposito exemplo primo, una arbor dicitur, quæ tamen pyrus est et malus, cædit enim uterque ramus in unam et eandem arborem.

Tertio, est Verbi prærogativa, ut enim surcu-lus ille mali, beneficio arboris pyri vivit, germinavit et fructificat, non contra: sic humanitas beneficio Verbi sustentatur, non contra.

Quarto, est idiomatum communicatio, quæ declaratur a Dam. I. III. de fide, c. VIII. et XXVI. Cyrillo de incarn. c. VIII. per carbonem ignitum aut ferrum candens, vel etiam per subjectum cum accidente, a Scoto, in III. d. 4. p. 1. Bonav. d. VI. q. III. v. g. per parietem album: paries comparatur Verbo, albedo humanitati. Nam uti paries denominatur albus, et hoc album dicitur paries: ita Verbum dicitur homo et homo Verbum, cæteraque idiomata sibi mutuo communi-cant. Sic carbo ignitus, ignis dici et lignum; fer-

rum candens, ferrum dici et ignis potest. Simili-ter in supradicto exemplo eadem arbor pyrus et malus dicitur: pyrus dicitur producere mala, malus pyra.

Quinto, est Verbi immutabilitas: quæ declara-tur a S. Paulo ad Phil. II. per vestem et vesti-tum, cum ait: *Habitu inventus ut homo*, et Isa. LXIII. *Quare rubrum est indumentum tuum?* Hanc similitudinem recipit Aug. lib. LXXXIII. quæst. q. LXXIII. D. Th. III. p. q. II. a. VI. Sicut enim vestis operit carnem, cum induitur, sed disco-operit, cum exiit, idque sine omni carnis muta-tione: sic Christi humanitas operiebat quodammodo Verbi divinitatem absque ulla ejus muta-tione. Similiter in primo exemplo: si surculus mali insertus exaresceret, non ideo pyrus exsic-caretur. Ratio est, quia pyrus surculo indepen-dentior est et suo modo anterior; ita Verbum existendi rationem et prioritate anteit humanita-tem; et si aridus ille surculus revivisceret et flo-reret, non ideo pyrus mutaretur: sic Verbo nihil in se advenit, cum unitum est humanitati; nec decessit, cum mortua est natura humana in cruce: nec denuo accessit quid mutationis in resurrectione.

Sexto, est Verbi solius et non totius Trinitatis incarnatio; quod a S. Bonaventura in meditatio-ne vitæ Christi sic explicatur. Quemadmodum cum quis induit tunicam habens ex utroque latere adjuvantem unum, qui teneat manicas et induentem juvet. Tunc enim tres cooperantur ad induendum, et unus tantum, medius scilicet induitur, non reliqui. Et non in primo exemplo, si pyrus illa concipiatur habere tres ramos, quo-rum medio soli surculus mali insertus est, sic enim surculus ille in arbore quidem, sed non in quolibet ramo insertus est; ita etsi tota Trinitas effective concurrat ad opus incarnationis, sola tamen Filii persona eam terminabat et carnem assumpsit. Denique, induis annulo digitum, cujus tres quidem sunt articuli annulum geren-tes, sed uni adhæret annulus. Hinc bene a S. Jacobo in epist. can. c. 1. vocatur Christus insitum Verbum, ut exposuit Concil. viennense. Truncus est persona Verbi, surculus insertus natura humana. Quæ mirabilis insitio commode incidit in ver, diem scilicet vigesimum quintum martii, quo etiam tempore consuevit fieri in hor-tis insitio surculorum.

III. Ultima est, qua Deus per gratiam genera-tur in cordibus fidelium, et hæc quoque mirabi-lis est et inexplicabilis. Primo enim, quis non obstupescat videns Deum venire ad pastores, id est, vilissimos homunciones? Dominum gloriæ habitare velle in cordis humani vilissimo stabulo,

in quo paulo ante plurima stabulantur vitiorum pecora? Cum illis se recreare, cum dicat: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum?* Eisdem zelo magno amare Æthiopissam videlicet tam turpem, tam ardentem tantaque zelotypia, ut ægerrime ferat, si quis alius creaturæ amorem sibi præri-piat? Eisdem secreta sua revelare? Eos gratiæ suæ splendore circumfulgere? Si de modo roges, mirabile imprimis est quomodo ad hominem veniat, quomodo recedat. Unde S. Fulgent. I. II. ad Thrasimund. ait: *Veniunt* (Pater, Filius et Spiritus sanctus) *atque abeunt proprio atque incom-prehensibili modo.* Mirabile etiam est, quomodo qui ubique, in homine per gratiam novo modo inhabitet, cum per essentiam, præsentiam, et potentiam, ait ubique. Quis enim modus ille? Respondeo primo, sicut amatum in amante. Sic princeps iter faciens, licet plurimas civitates peregre, et in pluribus hospitibus divertat, in nullo tamen est velut amatus apud amantem, sed ubi tandem ad fratrem velamicum suum divertit, quem visitaturus venit, tunc vere dicitur esse novo modo in palatio illo, etc. Sic etsi Deus sit etiam in peccatoribus, et locis omnibus, est veluti peregrinus et hospes, apud justum autem velut apud amicum intimum. D. August. in soliloq. ait: (Tantum interdum in adventu Spiritus sancti dulcedinem degustavi, quod præ gaudio inenarrabili, quod intus habui, me esse hominem peni-tus ignoravi.)

Secundo, sicut cognitum in cognoscente: eo fere modo, quo quis incensens personatus, per plurimas vadit domos; non tamen ubique sedi-cooperit aut cognoscendum præbet, ubi vero ad amicum optimum venit, levam sibi detrahit, ludit, bibit, saltat et sidentissime agit. Simili modo Deus peccatori se non revelat, licet in eo sit, et quasi cum hoste diffidenter agit; quomodo Christus non credebatur se Judæis, eo quod nosset omnes, Joan. II. E contra veniens in domum Marthæ, confidenter egit.

Tertio, sicut episcopus in templo, de quo I. Petr. II. dicitur: *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* Habet etiam domi suum stabu-lum episcopus, sed id nequaquam ornat, quia equorum est habitaculum, tametsi etiam ipse sæpius in id descendit. Templum vero suum, ubi sedes ejus est, ornat, perpollit, aulæis vestit, etc. Sic ornat Deus animam viri justi gratia et virtu-tibus; non item peccatoris, ubi stabulantur bruta, carnalia desideria, affectus sensuales, peccata mortalia.

Quarto, sicut amicus in amico sibi reconciliato. Reconciliatus enim alteri suam illi de quo tradit

voluntatem, spondens se facturum, quod alter voluerit: vel insinuavit se in amicitiam illius, id est, quasi in sinum illius dedit. Sic Deus se insi-nuat in cor justorum: *Quia voluntatem timentium se faciet*, ait Ps. CXLIV.

Superest nunc ut videamus, num in nobis etiam hodie Christus natus sit. Parum enim præderit nobis natum esse in Bethlehem, si non sit in nobis natus. Quæramus igitur cum magis: *Ubi est, qui natus est?* Quæramus cum Israelitis, Exod. XVII. *Estne Deus in nobis, annon?* Angelus certe pastoribus tribus potissimum argumentis videtur persuasisse Christi nativitatem. Primo, suavissimo suo concentu: secundo, designatione loci et aliarum circumstantiarum, quas investi-gare hortabatur: tertio, miro, splendore, quo eos circumfulsit. Similiter et nos persuasum ha-bebimus, Christum in nobis natum esse, si expe-riamur tria illa Sancti Spiritus dona, quæ recen-set S. Bern. serm. II. in die pentec. *Pignus salu-tis, robur vitæ, scientiæ lumen.* Pignus salutis, si conscientia nos non redarguat, sed jubilet et tes-tetur, quod simus filii Dei: robur vitæ, si cum gustu et delectatione ad Christum festinemus, adversa toleremus et bona operemur: scientiæ lumen, si cum omnia fecerimus, servos tamen inutiles nos pronuntiemus, et quidquid in nobis invenerimus, illi tribuamus, a quo est omne bonum.

## CONCIO IV.

PRÆCIPUI FINES OB QUOS VERBUM CARO  
FACTUM EST.

I. Redemptio. — II. Instructio. — III. Exemplum.

THEMA.

*Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*  
Joan. I.

Sacrosancta Ecclesia, cum prædicta verba legit vel audit, in genua procumbit; idque meritissi-mo, nec unam tantum ob causam. In genua cadit ob stuporem et admirationem, quod Deum, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, qui inser-viunt stellæ et vocatæ dicunt: *Adsumus*, ante quem cherubim et seraphim tremunt, et facies suas velant, videat in terra, in stabulo, in præ-sepi, inter bovem et asinum jacentem. Hoc enim admiratur in spiritu prævidens Habacuc, c. III. (juxta translationem Septuaginta interpretum, dicens: *Domine, consideravi opera tua et obstupui, in medio duorum animalium cognosceris.* In genua procumbit ob exemplum angelorum, qui et ipsi Dei Filium in mundum introeuntem adorant.